~~Poez: 1246~~

V
B J
C

2530

1869 d. 387

(24)

Frid. Zamell

TEDÆ CORELLIANÆ.

Elbingæ
Typis BODENHAUSINIS
anno M. DC. XLVI.

Ad Typothetas Elbingenses.

VAlete vos BODENAUSIANI nominis
Operæ ultimæ: neq; tamen hinc migrabitis.
Eadem est CORELLIO facultas auspice,
Durare cœptis & laborem pergere.
Turbavit aliqvid in familiâ mors heri:
Nihil imminuit hæc facta permutatio.

PRÆSTANTISSIMO DOCTISSIMOQ́; IUVENI

ACHATIO CORELLIO

III. Id. Jun. an. virg. part. M. DC. XLVI. thalamum ingressuro.

SI qvid tenemur fœdere sangvinis,
Prolemq́; seram jura parentium
Devinciunt, legesq́; avorum
Ad memores abeunt nepotes;
Necessitatum nomine postulor
Corellianis munera nuptiis
Hæc qvalia in votis amicis
Ingenui cumulant Poëtæ.
Dic Tu, mi Achati, quid Tibi primitus
Optaris? Ah ne Vatibus insona.
Nos largiori splene nati
Omnibus Harpocraten tabernis
Loqui remoto fecimus indice.
Pones in Annæ tutiùs auribus,
Et consciæ feres Dionæ
Sacra Cupidinibusq́; binis.
Te nocte primâ sidus amabile
Divæ potentis solvet atrocium
Metu, serenatoq́; Amores
Expedient Tua vota cœlo.
Ad literatam pertinet indolem,
Manutianis prœla laboribus
Vrgere. Vos exeste doctâ
Vos opicum genus Officinâ.
Cudunt Cyclopes fulmina rectiùs,
Est fabricandis ars sua puppibus:
Ac improbè credit profundo
Seq́; ratemq́; rudis magister.

Sprevistis

Sprevistis iras Æoliæ domûs,
Vos navitarum provida natio,
Callensq; & astrorum meatûs
In pelagi didicistis usûs.
Nec est fovendis obvia vitibus,
Aut excitando dextera palmiti.
Vt niterentur in cacumen
Pomiferi sine fraude rami,
Subire cœlo nec sine munere
Apti hortulani jussimus arborem.
Neq; insciens calo regendi
Flexit eqvum indomitum capistro.
Ruri colendo vixit idoneus,
Qvisquis serendi tempora noverat.
Qvod spectat huc: Chalcographorum
Præsideant loculis periti.
Erant beati, qui bene pergerent
Notas per artes: ut studiis novis
Vidi feroces îsse, vidi
Et misero cecidisse fatô.
Præceps ruina est justaq; talium,
Qvales nitorem rebus & insitum
Decus manu impurâ recidunt
Principiis aliud professi.
Succede, Achati: *Te* Bodenausii
Manes supremo famine destinant.
Exinde prodibunt tabellæ
Sumtu operâq; Corellianâ.
Iacent soluti multiplices tipi,
Committi amantes pollice sobrio.
Qvæ caussa, qvi rectum moretur
Fœmineus furor institutum,

Qvin

Qvin finiamus prandia Phinei,
Scævasq; tamdem nesciat alites
Ille ingenI humani apparatus,
Et temerata fides librorum?
Turpis Celeno certa papirinis
Fœdare sulcis nil sibi, barbaro
Qvid non deinceps audet ungvi,
Vsq; novâ subeunte noxâ?
Ad justa venit sacra Talaßio,
O pulle Phæbi: Te Superi adserunt,
Sive elegans illud metallum,
Seu viduæ mediter decorem.
Macte alma Clio: jam via panditur
Ad tersiores liquida codices.
Eliminatis ipse polchrum
Sphalmatibus statuam tropæum.
Me si qvid umquam feceris arbitro,
Vocanda posthac Anna Corellias,
Seqvuta nunc demum es Tibiq;
Vtile consilium Tuisq;.
Arcana magnæ Pallados excute,
Tenta latebras & sacra Delii:
Idem est. Loqvutam crede per me
Esse deam tripodasq; Phœbi.
Vides ut omnis turba gregalium
Tuorum in artes missa Librarias
Applaudat, ut Patrum corona
Et Charitum Tibi gratuletur.
Ad Te revertor, crete Zameliâ
Parente: nostro est nam sata patruo.
Sæpe hoc pependi ab Argonautâ
Memnonium reserante tractum.

Præfectus

Præfectus æri sume loqvaculo
Concessa rerum: nunc ruet Hesperus
Penso diurno, nunc sub umbrâ
Idalii repetentur horti.
Prudens laborem miscuit otio,
Cùm nos in ævum mittere Conditor,
Vitæq; res negotiosæ
Mole suâ stabilire vellet.
Grati recessûs & nemus hispidum,
Imæq; valles ac juga Naica,
Nexæq; de mirto coronæ,
Sæpe graves posuêre curas.
Amœnitatis non ego rusticæ
Asper deorum præmia concino.
Hinc optimis vigor Poëtis,
Et pecori & pecorum magistris.
Silvas celebrat primus amantium
Favor. Lacenam cùm Paris hospitem
Ductaret, Oenones agresti
Membra priùs thalamo levârat.
Regum receptus limine pusio
Minax sagittis, se tamen induit
Materna pervagatus arva
Divitiis nemorum virentum.
Huic incidisti, cùm Tua collibus
Protenderetur semita Hiantiis,
Cùm Te deæ loci novenæ
Imbuerent tenerâ Hippocrene.
Et nostra dignis Otia in aviis
Observat idem. Sit sine crimine
In antra Musarum introîsse,
Insidias tamen ille nectit.

Callem

Callem terentes obsidet undique
Vultu lacessens illius illius
Nimfarum in altis ilicetis,
Quæ genus à patre sunt deorum.
Venis amator castus & integer.
Hac lege sanctum est nec violabile
Iugum duorum: hac dote vestrum
Exhilarate thorum Laremque.
Tardo Bootes sidere Phosphorum
Suspectat ortum: jam micat alba lux,
Siduntque nocturnæ tenebræ
Sole diem referente primum.
Quò nuptiales concutitis faces?
Hic nutus Heræ: ponite lumina.
In simbolis satis repostum
Hactenus esse, profata Iuno est.
Desideratis, dixit, amoribus
Per me fruantur plusquàm adamantinis
Ligata vinculis eumdem
Corda simul subitura lectum.
Fores, Achati, *claude cubilium:*
Vnius intrent agmina Cypridos:
Inque osculis complexuumque
Omnia pone vicissitate.
Pronum juventus si luit impetum,
Heic nullus error: heic Tua messis est.
Nec vindices ab hoc duello
Horrueris homines deosque.
Vis adstruantur puncta Zamelii?
Dulces ô horæ currite currite,
Achatioq; *transeuntes*
Perpetuùm renovate lusûs.

Ferri

Ferri rigorem Iupiter arceat,
Vltràq; ab auro ſecula mutues
Saturnio: nec in querellas
Deſinat uberior voluptas.
Odi nocentem exſcribere chartulam,
Ac triſte vita luminum & aurium
Neſas: in hoc felicitatis
Eſt qua Tuæ ſita pars decoro.
Tum prælo ab illo lecta volumina,
Tum prælo ab iſto muſtea pignora,
Et auſpicatæ ſvavitatis
Turgidulos videam racemos.
Corellianis munera nuptiis
Debere faſſus qualia candidi
Mittunt Poëtæ, ſi probavi
Miſſa, favete novi mariti.

In Marculum Bipanium.

IN circulis forenſibus, tum in balneis,
Conviviisq; ubi delicatulæ adſident,
Contendit unum hoc Marculus Bipanius:
Nihil beatius eſſe vitâ cælibe.
Vt iſta non diſcuſſerim anxiè, tamen
Ad Marculum quod attinet Bipanium,
Qui conjugis deſertor intra ganeas
Ab ore quadrantariarum paſcitur,
Et improbus rimator omnium inguinis,
Vel his palàm merentibus projectior
Promiſcuâ furit omnium libidine,
Ad hunc quid illa diſputata pertinent?

Biblioteka Jagiellońska
stdr0019523